

Bibliothèque numérique

medic@

**Louis, Antoine - candidat / Morand,
Sauveur - président. - [De vulneribus
capitis]**

1749.

***Paris : Typis Delaguetta Regiae
Chirurgorum Academiae
Typographi***

Cote : ms 2342, n°1



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)


Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0001](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0001)



COLLECTIO

IN REGIIS SCHOLIS


THESIUM






COLLECTIO


THESEUM




MS 2342.

(Ancienne suite : 489)









1

D. O. M.
POSITIONES ANATOMICÆ
ET
CHIRURGICÆ.

EX ANATOMIA.



NATOMIA corporis humani partium, figuram, situm, connexiones, actionem & usus investigat. Structuræ partium cognitio accurata, & qualis Chirurgum decet, cadaverum dissectione acquirenda. In nudâ & simplici partium contemplatione Chirurgus conquiescet nullum: cum enim affectæ partis indicia ex actione læsâ, tanquam fonte præcipuo, hauriantur; partium actiones rimari debet, ut affectus quibus contra naturam sunt obnoxia facilius agnoscat.

INTER varias corporis humani divisiones, quæ illud in
A

truncum & artus partitur, hæc præ cæteris laudatur & præfertur. Trunci tres sunt partes, sive principales regiones, caput, thorax, & infimus venter. De vulneribus capitis acturus, partes tantum quæ ad ea cognoscenda & curanda prorsus sunt necessariae, perlustrandas habeo.

SUPERIOR corporis regio quæ vertice & primâ vertebrâ circumscribitur, latiore & communi acceptione Caput appellatur. In duas partes, unam capillatam & alteram glabram, quæ facies est, dividitur. Strictiori sensu, caput ab Hippocrate propugnaculum ac domicilium cerebri dicitur; à Celso, quæ sola pars capillis tecta est, capitis nomine insignitur.

CAPITIS partes aliæ sunt externæ, aliæ internæ, sive continentes & contentæ. Continentium prima occurrit, crassiori cooperta epidermide cutis pilosa: huic antrorsum, frontales; à tergo, occipitales; ut ab iis moveatur: & à lateribus, temporales subjacent musculi.

CRANIUM octo ossibus, per futuras, seu pectinatim aut more dentatæ ferræ commissis, componitur. Suturearum situm operæ pretium est perfectè cognoscere; futuras enim in capitis læsione erroris sibi ansam fuisse, ipse fatetur Hippocrates.

GNARIS minùs, aut minùs intentis fucum facere possunt quæ inter cranii suturæ collocatæ, quandoque reperiuntur ossicula; quæve Wormiana, à Wormio, qui primus eorum observator à quibusdam perhibetur, sunt denominatæ.

PLURIMA de suturarum usibus, ab antiquioribus rei Anatomica peritis, excogitata sunt. Cerebrum expurgatione indigere, & futuras cerebri fuliginum liberæ transpirationi servire; experienciâ (ut ipsi credebant) annuente, asseverare non dubitarunt. Faciliorem quidem, inter cætera, fieri scetus educationem, à membranosa in locis suturarum connexionem, constat; unde infantibus prodesse cranii futuras, eodem modo quo & aliis ossibus epiphyses, rationi & experienciæ consona videtur opinio.

OS S A cranii, tabellâ duplici donata, intus & extrinsecus membranâ immediatè succinguntur: ab unâquâque vasa profi-

3

liunt, quæ intra geminas cranii laminas sese insinuant, medullarium interjectum, seu diploën, ad cranii nutritionem irrigantura. Membrana calvariam osseam exterius vestiens, pericranium dicitur; quæ verò substernitur, dura mater, seu durameninx nuncupatur.

De intimâ pericranii calvariæ adhæfione inter omnes constat; an verò adhæreat cranio dura mater, controvertitur. Neque, quantumvis hæce lis facili negotio dirimenda videatur, alia est, pugnantium sententiarum varietate, intricatior quæstio.

Qui motum cerebri non imparem pulmonum actioni, ab æris dilatantis ingressu, resomniarunt neoterici; duram matrem numerosissimis esse conflatam musculis, inconsultâ naturâ, asserunt.

FIRMISSIME, in statu naturali, omnibus & singulis alligatur cranii punctis dura mater (a): ac proinde cujuscunque motus incapax. Ab ampliore ossium cranii aperturâ, in detectâ durâ matre qui videtur motus, non ab ipsius membranæ structurâ; nec quod multis probabile, ab arteriarum, quibus refertur, motu repetendus; sed ipsius massæ cerebri, ab arteriarum majorum pulsatione, alternatim elevatae ac depressæ, non immeritò adscribetur.

DUPLEX tunicâ arctiori nexu compactâ, dura-meninx componitur: altera externa ossibus calvariæ contigua; altera interna candidior, aqueo humore tenuissimo oblita, variis in locis reduplicatur; ut cerebri dextram partem à sinistrâ, cerebrum à cerebello sejungat, & multiplices sinus, seu rivos venarum vicarios, efformet.


DESECTA detractâque crassiori membranâ, conspicua est pia mater seu pia meninx: hæc proprium est & immediatum cerebri velamen. Exteriorem ejus non modò tegit superficiem, sed in penitiores ejus pervadit recessus. Cum eâ feruntur

(a) Quod quidem, Libro naturæ, cadaveris capite, aperto; Regiæ Scientiarum Academiæ Anatomicis, contrarium ex scriptorum auctoritate tenentibus, exposuit Dominus MERRY, dum viveret, è Regiâ Scientiarum Academiâ, Chirurgiæ Magister Parisiensis & in Domo-Dei primarius.

A ij

arteriolæ cerebri substantiam permeantes.

CEREBRUM, viscus nobilissimum, sedem animæ, (a) nervorum principium, & omnium corporis functionum primarium esse mobile nemo non novit. Hic mirabilem ejus structuram, cavitates, protuberantias, concamerata atria, plexus labyrinthicos, (b) helices &c. utpotè quæ minùs quoad usum & actionem sint cognita, & quæ minimè ad propositum nostrum ducant, non contemplabimur.



EX CHIRURGIA.

CAPITIS vulnere Ætiologia difficilis: hujus enim partis percussionum adedò dispares eventus observantur, ut earum quæ graviores appareant, facili negotio interdum sanentur; quæ verò videantur leviores, lethales frant.

CUTIS cranii levissima sunt vulnera: musculi verò crotaphitis & pericranii læsiones, si minus rectè tractentur, graviores, easdem & lethalia subsequi solent symptomata.

CRANII solutæ unionis causa triplex distinguitur; incisio perforatio, contusio.

A causâ obtusâ frangente & contundente solutæ continuitati in capite, diversa à Græcis & Arabibus data sunt nomina; sed cum indicationibus & curationi nihil omninò conferant, has denominationes viderint otiosi verborum indagatores. (c)

CERTUM & frequenti experientiâ, licet non constanti Chirurgiæ scriptorum omnium consensu, dari contrasissuras,

(a) Vid. Dissert. à l'usage de D. de la Peyronie, Chirurgus Regis Primi in actis Regiæ Scientiarum Acad. ann. 1742.

(b) De quibus nova scripsit in Actis Regiæ Scient. Acad. ann. 1744. hujusce Actûs Clarissimus Præses.

(c) His nominibus frustra memoriam gravantibus, in Tractatu suo de Vulneribus Capitis rectè abstinnit, M. Roubault VICTORIS AMEDEI Regis Siciliæ consiliarius & Chirurgus, Chirurgiæ in Universitate Taurinensi professor, in Chirurgiâ Magister Parisiensis, è Regiâ Scientiarum Academiâ; qui, quondam Nosocomii Dicti la Salpêtrière per sexennium, obtinendi Magisterii causâ, fuerat Chirurgus primarius.

§
Leu, fracturas à percussâ cranii parte, in locum non percussûm;

CONTRAFISSURARUM tres esse species docent exercitatorum, (quibus maximè in Scientiâ Practicâ confidendum) observationes. Fiunt enim contrafissuræ; 1°. Tabulæ ossis internæ à percussâ exteriori non fissâ; 2°. Binæ quandoquæ ossis lamellæ in parte quæ percussæ vicina est; 3°. Utriusque etiam non rarò laminæ, in eâ cranii parte quæ percussæ ex diametro opposita est.

LÆSIONUM capitis signa, alia fracturam cranii tantùm; aliqua læsionem cerebri, quædam materiam cerebrum vel meninges gravantem, indicant.

CRANII fracti signa, alia sunt præsumptiva, alia sensibus obvia. Præsumptiva, minùs ab accidentibus, quàm à corporis lædentis naturâ, pondere, duritie, & à percutientis viribus, desumuntur. Signa verò vera, tactu, vel visu, vel utroquæ manifestantur.

JUDICATU minùs facilis cranii rima capillaris: ejus tamen dantur signa; inter quæ, efficax & indubitatum, post appositionem atramenti, ope scalpri, rimæ rasura.

FRACTÆ ossis tabulæ interioris, illæâ exteriori, signa judicio solùm præsumptivo notanda veniunt: & licet nulla sint hujusce fracturæ signa quæ sensibus occurrant, certum est tamen ab accidentibus peritum sufficienter moneri Chirurgum; ut quandoque possit æger salvus fieri, si auxilia Artis, ritè, idoneoque tempore, adhibeantur.

UT fractura cranii, quæ sine læsione cutis est, dignoscatur; emplastra è cerâ, thure, ladano, terebinthinâ, aceto, farinâ fabarum, capiti admovenda; & in fracti cranii loco, si quis sit, exsiccari, asserit *Bertapalia*. Ab hac, vel aliâ ejusdem virtutis Medicinâ, saniei fracturam indicaturæ collectionem fieri posse, experimentis mihi fuit comprobatum.

SI statim à percussione ingruat sopor lethargicus, quem febris, oculorum & faciei rubedo, &c. proximè comitentur, cerebrum commotum demonstratur. Subsequente verò sopore

lethargico, quem dolores capitis, somnolentia, vomitus, rigores præsertim & horrores præcesserunt; manifestò indicatur meningis vel cerebrum à quâcumque materiâ lædi.

COMMOTIONI cerebri ab accidentibus primitivis designata, parcissimâ victus ratione, frequentioribusque sanguinis missionibus succurritur. Supervenientia verò accidentia, cranii per trepanationem citius instituendâ perforatione, (nisi à pericranii inflammatione oriantur) emendanda.

FRACTURA cranii, etiamsi nulla sint accidentia, non solum causa, sed & signum trepanationem indicans, habeatur. Huic doctrinæ experientiam suffragari videre est in Actis Regiæ Chirurgorum Academiæ. Adversantium dicteria, (a) sanæ praxi minimè consona, rationibus imò posse infirmari, teneo.

TREPANATIONEM absque periculo multiplicari testantur, de ossibus plenè nec non feliciter exemptis, observationes. Multiplicandæ autem trepanationis ratio, non semper ab extensione fracturarum, nec à materiæ per trepanationem vacuandæ foco remotiore, videtur repetenda. Crebra verò instituenda semper in ossibus pericranio simul & durâ matre valdè nudatis.

DETERGENDIS cerebri vulneribus, ratione materiæ educendæ, diversâ conveniunt remedia. Tenaces & glutinosæ sordes, usu mellis rosati cum spiritu vini apprimè eliquantur. Sordium redundantem egestum, speciem dissolutæ & quasi putrefactæ substantiæ cerebri præ seferentem, augeri ab applicatione spiritûs vini, & oleis essentialibus balsamicis coerceri docent Illustrissimi Domini DE LA PEYRONIE experimenta. (b)

IN ossis trepanati curâ, laminæ plumbeæ ad duram matrem vel cerebrum intumescens reprimendum à Bellostio accommodatæ, usus videtur improbandus.

(a) In libro maledicè scripto cui titulus, *Remarques sur les Mémoires de l'Académie Royale de Chirurgie*.

(b) Vid. Dissert. de Vuln. cerebri à Domino Quesnay in Actis Reg. Chir. Acad.

7

Has positiones, DEO JUVANTE, & Praside M. SALVATORE MORAND Artium & Chirurgiæ Magistro, è Regiis Scientiarum Parisiensi & Londinensi Academiis &c. Regio Librorum Censore, Militarium Nosocomiorum Inspectore Generali, Regiæ Chirurg. Academ. olim Secretario & Directore, *tueri conabitur* ANTONIUS LOUIS, *Metensis*, Artium Magister Mussi-Pontanus, Regiæ Chir. Acad. Socius, & Nosocomii Generalis Parisiensis, in domo dictâ LA SALPESTRIERE, Chirurgus Præcipuus.

de mets

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGURUM SCHOLIS.

Die Jovis 25^a Septembris à sesqui secundâ post meridiem ad septimam. Anno Domini 1749.

P R O A C T U P U B L I C O
E T
S O L E M N I C O O P T A T I O N E .

Typis DELAGUETTE Regiæ Chirurg. Academiæ
Typographi 1749.

